



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VIII. Cùm deinde Balua Cardinalis injuſu & absque consensu Regis præsumeret uti auctoritate Legati in Gallia, multaque insolenter ageret adversùs sanctorum canonum reverentiam & mores in Gallia ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

fecit, pro hac vice tantum, utendi facultatibus suis secundum modificationes ab eo approbatas; ea tamen adhibita cautione, ut hic regius consensus trahi non posset in consequentiam, neque ex eo quæri aliquod jus posset aut possessio adversus Regum Francorum majestatem aut jura, sive adversus libertates & privilegia Ecclesiæ Gallicanæ. Literas porrò Legati, quibus approbaverat modificationes in literis legationis appostas, misit Rex ad Parlamentum Parisiense, haud dubiè ut in acta Curie referrentur.

Odor. Raynald. ad an. 1430 & 31. & seq.

VI. Anno dein MCCCCLXXXIV. Kal. Maij Sixtus Legatum cum amplissimis facultatibus in Galliam misit Iulianum Prefbyterum Cardinalem Tituli sancti Petri ad vincula, cujus supra meminimus, ut pacem & concordiam revocaret inter Ludovicum Regem Francorum & Maximilianum Ducem Austriae. Sed antè quàm Legatus iste mitteretur, Sixtus in primis effecerat ut ei mittendo accederet consensus Ludovici, absque quo vanam & inutilem fore legationem pluribus jam experimentis compertum habebat. Itaque Rex, præfatus Legatum apostolicæ sedis in Galliam mitti non posse neque facultatibus suis uti absque consensu Regis, ac considerans istius legationem decretam fuisse cum consensu suo, edicit ut recipiatur velut Legatus à latere, & ut antelatione crucis & ceteris Legatorum insignibus uti ubique possit intra regnum præterquam in præsentia Regis, *fors en nostre presence*. Salvis tamen juribus & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ & regni. Daturum porrò Legatum literas suas parentes & authenticas, quibus declarabit salvas esse nihilo minus libertates Ecclesiæ Gallicanæ & jura regni.

Probat. Libert. cap. 23. §. 1.

VII. Non extant illæ Legati literæ. In veteri tamen codice MS. Bibliothecæ regie extat indiculus manu Petri Doriolæ Cancellarij scriptus, in quo enumerantur acta quæ ipse in Cameram Compotorum detulit die xv. Septembris ejusdem anni de legatione ejusdem Cardinalis. In hoc ergo indiculo, post literas Regis de quibus mox dicebamus, & post instrumentum protestationis factæ à Commissariis Regis, quæ edita est inter Probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, tertio loco compendio describuntur literæ ejusdem Legati datæ in loco sancti Symphoriani Auzonis die secunda Augusti, subscriptæ verò manu ejus & à Sigilmundo Secretario Summi Pontificis itémque à Magistro Marthæo Vaillant Secretario Legati. In his ergo literis declarat Legatus permissionem sibi à Rege con-

cessam ut legatione sua uti possit in Gallia trahi non posse in consequentiam, neque ex ea ullum præjudicium afferri juribus & privilegiis Regis aut regni.

VIII. Anno MCCCCLXXXIII. idem Sixtus Legatum in Galliam destinavit Ioannem Baluam Episcopum Albanensem, ut collapsam disciplinam ecclesiasticam restauraret. Quia verò ille, ut erat homo audax, *regnum Franciæ ingressus est licentia vel consensu Domini nostri Regis minimè petita seu habita, ejusque legatione minimè recepta, nisi est officium sue legationis exercere, & quæcumque ad jurisdictionem ordinariam Archiepiscoporum &c. spectant & pertinent exercere, pluraque insolenter agere adversus sanctorum canonum reverentiam & mores in Gallia receptos, Ioannes Nanterra nomine Regis, qui tum erat Karolus octavus, ab his gravaminibus appellavit ad sanctissimum Dominum Nostrum Papam Sixtum minus debite consultum ad ipsum melius consulendum, ac ad illum vel illos ad quem seu quos de jure provocare & appellare mihi licet.* Acta hæc anno Domini MCCCCLXXXIV. die xx. Augusti. Attamen eo tempore, cum maximè agitata fuisset hæc causa in sacro Consistorio & in Curia Parlamenti, permixtus est Balua uti insignibus Legati, *dempta facultate utendi * * * & aliis facultatibus*, uti decretum fuerat circa Cardinalem sancti Petri ad vincula vivente Ludovico Rege.

Odor. Raynald. an. 1433. §. 1.

Polin. lib. 1. cap. 10. §. 1.

lib. 1. §. 1.

IX. Ea tempestate Balua, qui ad revocandam disciplinam ecclesiasticam missus à Sixto erat, gravem in Galliis contradictionem passus est in hoc capite. Episcopi enim alicubi congregati eam curam ad se revocarunt, insuperhabita Legati potestate. Is verò cum querelam ea de re suam ad Pontificem detulisset, licet in hoc Gallicanorum Episcoporum facinore *pietatis aliqua affulgeret species*, ut ait Odoricus Raynaldus, *aliquis tamen rem penetranti Pontifici indignum visum est ista ab Episcopis tentari, absurdumque illud esse & sacris canonibus bonæque consuetudini repugnans*. Itaque dolorem suum propter istam Episcoporum Gallicanorum audentiam percipit ad Ducem Borbonij, hortatus eum ut huic rei & incepto maximè improbando obstitere. Præstat autem integram epistolam referre, plenam videlicet antiqui moris. Sic ergo illa habet apud Odoricum Raynaldum.

Intelligimus electos esse nonnullos Prelatos in defensores & reformatores Ecclesiæ Gallicanæ. Quod cum sit absurdum, & sacris canonibus bonæque consuetudini repugnans, possitque ea res motus & perturbationes excitare & pessimo exemplo esse, hortamur nobilitatem tuam ut suam in

Odor. Raynald. an. 1431. §. 1.